



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. Quænam inter diuisiones entis sit omnium prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Diuisio
entis in
Deum &
creaturas.

Certum est secundò, diuisionem entis in Deum & creaturas variis modis solere tradi. Primò sub his terminis, *infinitum*, & *finitum*; quibus ita significantur Deus & creatura, vt expresse designetur summa distantia, quæ est inter duo illa membra; ens enim infinitum appellatur, quod in sua essentia ita est illimitatum, vt omnem omnino contineat perfectionem possibilem, vel formaliter, vel eminenter: finitum autem, quod ita pertinet ad certum gradum in latitudine tota entis, vt ultra non ascendat, neque contineat vltiores gradus, vel formaliter, vel eminenter. Vnde quamuis fieret à Deo aliqua creatura, cui daret gradus perfectionis infinitos, non esset tamen illa infinita essentialiter, quia non contineret omnem perfectionem possibilem. Secundò traditur eadem

Ens à se
& ab alio.

sub his terminis, *Ens à se*, *ens ab alio*; id est, *independens*, & *dependens*. Primum est illud ens, quod habet esse à seipso, non causaliter & positivè quasi seipsum produxerit; sed negativè, quòd à nullo acceperit esse, neque potuerit accipere. Dependens illud vocatur, quod accipit, vel accipere potest esse ab aliquo alio per veram causalitatem. Personæ videlicet diuinæ Filij & Spiritus sancti accipiunt esse, sed non sunt tamen dependentes, quia non accipiunt illud per veram causalitatem. Tertiò traditur hoc modo

Ens per essentiam,
ens per participationem.

ens per essentiam, & ens per participationem. Ens per essentiam est illud quod essentialiter existit, & est totum id quod est, seu quod nihil omnino habet quod non sit eius essentia. Ens per participationem illud, cui existentia, & plures etiam aliæ perfectiones accidentaliter adueniunt. Quartò dicitur actus purus, & ens potentiale. Illud dicitur actus purus, quod nullam habet potentiam ad existendum, aut recipiendum; sed totum quod esse potest, actu & necessariò est. Ens potentiale illud nominatur, quod esse potest in potentia, tum ad existendum, tum ad recipiendum aliquid noui, quod non habeat. Puritas actus soli Deo conuenit habenti omnia per essentiam, imò nihil habenti, sed essenti omnia, vt ita dicam. Aliæ hoc modo discurrenti per omnia Dei attributa, possunt excogitari diuisiones generales entis, quarum alterum membrum sit Deo proprium, aliud omnibus commune creaturis.

Triplex
dubit.

Ratio ergo dubitandi primò esse potest, quia vt diuisio aliqua bona sit, debent membra subdiuidentia ita tradi, vt postea non sint rationes aliæ alteri communes, alioqui fier commixtio specierum huiusmodi diuidentium: atqui ens à se, v.g. rorsum habet sub se intellectiuium, quod subdiuidi potest in intellectiuium à se, & intellectiuium ab alio. Similiter infinitum habet sub se plures diuisiones, v.g. idem intellectiuium, cum aliud sit intellectiuium infinitum, aliud finitum: ergo illæ diuisiones vitiosæ sunt.

Secundò ens diuidi debet per rationes essendi: sed esse Deum & creaturam non sunt ratione essendi, sicut perfectas & inhærentia: ergo ens non bene diuiditur in Deum & creaturas.

Tertiò diuisio entis in substantiam & accidens non videtur adæquata, cum non contineat omne ens; modi enim substantiales neque sunt substantiæ, neque accidentia; si enim essent substantiæ, perfecte subsisterent; si accidentia, pertinerent ad categoriam aliquam accidentium; non pertinent autem ad ullam categoriam accidentium.

Diuisio
entis in
finitum &
infinitum.

Dico primò, optimam videri & adæquatam diuisionem entis in ens infinitum & finitum: in

ens à se, & ens ab alio; actum purum, & ens potentiale; necessarium, & contingens.

Ratio est primò, quia illa diuisio est bona & adæquata, cuius duo termini contradictorie ita opponuntur, vt summam habeant oppositionem: huiusmodi sunt ens finitum & infinitum, ens à se, &c. ergo diuisiones illæ optimæ sunt, & sunt etiam adæquate, quia nulla ex illis est, quæ non contineat latitudinem totam entis.

Dico secundò, bene item & adæquatè diuidi ens in substantiam & accidens.

Ratio est, quia nullum est ens, quod vel non sit aptum inherere alteri per veram & propriam inhærentiam, vel quod sit aptum inherere. Si non est aptum inherere, substantia est; si aptum est inherere, est accidens: ergo nullum est ens, quod non sit substantia, vel accidens. Substantia enim sumi potest, vel prout est genus tantum analogum, & sic significat substantiam, tum creatam, tum increatam; vel prout est genus vniuersum, & primum prædicamentum, & sic solam dicit substantiam creatam, vt patebit ex *quest. 3.* hic autem substantia sumitur prout est analogæ, communis nimirum Deo & creaturis.

Ad primam respondeo negando, quod in diuisionibus entis membra subdiuidentia debeant ita tradi, vt non sint postea in altero rationes omnes alteri communes; hoc enim est impossibile: v.g. si diuidatur ens in spirituale & corporeum, vtrumque membrum participat rationem viuentis, cognoscitiui, &c. Substantia & accidens commune habent spirituale & corporeum. Idem dico de aliis omnibus diuisionibus; sufficit enim vt membra, prout formaliter, nihil inter se habeant commune.

Ad secundam respondeo negando ens diuidi debere in modos essendi; debet enim potius diuidi in diuersa entia, alioqui non rectè diuideretur in substantiam & accidens, quæ sunt entia, non autem modi essendi: falsum autem est, quod ens diuidatur in perfectitatem, & inhærentiam.

Ad tertiam respondeo modos omnes substantiales reuocari ad substantiam; sunt enim substantiæ quodammodo incompletæ. Patebit autem ex dicendis *quest. 3.* modos completos, qui supponunt suum subiectum in suo esse iam plenè constitutum, pertinere directè ad aliquam categoriam, cuiusmodi est figura: modos autem illos, qui sic efficiunt suum modificatum, vt compleant ipsum in suo genere, pertineantque ad eius integritatem, tunc simul cum modificato in eadem poni categoria, per quamdam reductionem. Huiusmodi est substantia.

SECTIO II.

Quanam inter diuisiones entis sit omnium prima.

Id est, vtrum ens æquè primò, & æquè immediate diuidatur in ens infinitum, & finitum; in ens à se & ab alio; in ens intellectiuium, & non intellectiuium; substantiam, & accidens: an verò aliqua inter diuisiones illas sit aliis prior, & magis immediata, & quanam illa sit.

Ratio dubitandi primò est, quia illæ diuisiones entis sunt æquè immediatæ ac primæ, quæ non diuidunt tantum aliquod ens particulare, sed ipsum ens vniuersalissimè sumptum sine respectu ad alias huiusmodi sunt istæ diuisiones in substantiam & accidens.

accidens, creatum & increatum : ergo illæ diuisiones sunt æquæ immediatæ ac primæ.

Secundò illæ diuisiones, quæ se mutuo continent, ita vt vna includat aliam, & sub illa includatur, æquæ sunt primæ ac immediatæ; si enim vna esset aliis prior, deberet continere alias, & sub illis non contineri: sed istæ diuisiones se mutuo continent, v.g. diuisio entis in substantiam & accidens continet diuisionem in Deum & creaturas, spirituale & corporeum, & alias omnes. Diuisio quoque in Deum & creaturas continet diuisionem in substantiam & accidens, & reliquas, vt patebit: ergo vna ex illis non est prior alterâ.

Tertiò vix potest diiudicari quænam inter illas sit prior; nam diuisio in ens à se & ab alio videtur esse debere omnium prima, quia esse à se non potest fluere ab alia perfectione priore; & tamen diuisio entis in infinitum & finitum videtur esse prior, quia independentia probatur per infinitatem, & illam non probat.

Conclusio affirmatiua. Dico primò, inter diuisiones entis enumeratas datur necessariò aliquis ordo prioritatis; ita vt vna earum sit omnium prima, & maxime immediata; eaque videtur omnino esse diuisio entis in infinitum & finitum. Ita docet Scotus in 1. dist. 8. q. 3. & cum eo Suarez disp. 28. sect. 1. & disp. 32. sect. 1. contra Hurtadum disp. 1. o. sect. 1. Auerliam quaest. 17. & in Logica q. 16.

Probatio. Ratio tamen satis perspicua est ex iis quæ disputabam in tractatu de Deo, de primo conceptu, & differentia essentiali Dei. Si enim infinitas, vt ibi probabam, est Dei differentia propria & character eius essentialis, necesse est vt alia omnes eius perfectiones sint posteriores infinitate, cum ab illa debeant fluere: sed infinitas radicalis & exiguiua, est differentia Dei propria; non autem independentia, vel existentia per essentiam; quia ex independentia, & existentia per essentiam non probatur infinitas, cum posset cogitari ens à se quod per sua principia naturalia sit limitatum: per infinitatem autem certum est probari aseitatem & alias omnes perfectiones: ergo infinitas prima est inter omnes Dei perfectiones, atque adeò ens necessariò diuiditur in ens infinitum & finitum; quia primò & immediatè diuiditur in id, quod primò, & ante alia Deo conuenit. Si enim verum esset, quod illæ omnes diuisiones essent æquæ primæ ac immediatæ, certè nulla dari posset propria Dei differentia. Deinde illa diuisio est omnium prima, sub qua continentur formaliter explicite alia omnes, ipsa verò non continetur sub aliis: sed infinitas formaliter continet omnes perfectiones, substantia verò, v.g. esse intellectiuium, esse absolutum, imò nec independentia continet formaliter infinitatem & alias perfectiones: ergo infinitas & finitas primò diuidunt ipsum ens.

Solutio difficultatum. Ad primam respondeo negando illam maiorem: illæ diuisiones sunt æquæ primæ, quæ diuidunt ens vniuersalissimè sumptum sine respectu ad alias; si enim vna ex illis diuisionibus ita se habeat, vt probet alias, & illas formaliter contineat; non probetur autem per illas, nec sub illis contineatur, certè vna est prior aliis, vt probaui, tametsi alia sint etiam vniuersales.

Ad secundam respondeo distinguendo illam maiorem: illæ diuisiones sunt æquæ immediatæ, quæ se mutuo includunt, si etiam se mutuo probent, & includant formaliter, concedo; si non se mutuo probent, nec includant formaliter, sed tantum reahiter, nego. Dixi autem diuisiones entis huiusmodi esse, vt infinitas includat formaliter & probet alias

A omnes perfectiones; sub aliis autem non includatur formaliter, nec probetur.

Ad tertiam satis dicta est ratio, propter quam diiudicari debeat infinitas esse prior independentiâ, quam probat, & includit formaliter & directè; cum tamen per eam non probetur, nec formaliter directè sub ea contineatur: esto verum sit, quod ens independens nihil supponit prius à quo fluat: certè nego independentiam fluere non posse ab alia priori perfectione.

Sequebatur vt dicerem, an & quomodo diuisiones illæ sint analogæ, an vniocæ; sed hoc erit manifestum ex q. 3. vbi dicam nihil esse posse vniocum Deo & creaturis.

QVÆSTIO II.

De substantia, & accidente.

HÆC est notissima & celeberrima diuisio entis, de qua video posse quæri quinque: primò propria ratio & conceptus substantiæ prout ab accidente distinguitur: secundò, quid sit substantia: tertiò, quotuplex illa sit in composito physico: quartò, qualis sit eius effectus formalis: quintò, quænam illius causæ.

SECTIO I.

Propria ratio, & conceptus substantiæ, prout ab accidente distinguitur.

Idest, quare forma equi v.g. non sit accidens, sed substantia; quantitas autem, & albedo, accidentia sint, non substantiæ; quam esse rem distinctissimam ab antiquioribus vix tactam, à recentioribus nondum explanatam, aliqui pronunciant.

Ratio dubitandi est primò, quia solum discrimen substantiæ ab accidente dicitur esse quod substantia non sit in subiecto, substantia verò sit in subiecto: sed forma materialis non minus subiecto inheret, quàm accidens: ergo est accidens. Neque satis est dicere, quod accidens est in subiecto completo, forma verò est in subiecto quod ipsa complet: vel enim nomine subiecti compleri intelligitur totum per se, vel intelligitur totum per accidens. Si totum per se, petitur principium, quia totum per se est totum substantiale. Si intelligitur totum per accidens: ergo quantitas etiam substantia est, quia est in tali subiecto incompleto; facit enim ipsa totum aliquod quantum, & albedo totum album.

Secundò accidentia materialia sunt in sola materia: ergo sunt in subiecto incompleto. Imò accidentia etiam animæ separata, v.g. intellectiones & volitiones, sunt in subiecto incompleto: ergo sunt substantiæ.

Tertiò actiones substantiales sunt in subiecto completo, & tamen sunt aliquid substantiale: ergo substantiæ possunt esse in subiecto completo.

Dicendum tamen est, conceptum substantiæ proprium esse non esse in alio tanquam in termino, vel tanquam subiecto completo: conceptum autem accidentis inherere alteri tanquam termino, vel tanquam subiecto completo. Negant explanationem hanc voce tenus quidam Recentiores, qui tamen in eam postea recidunt, vt patebit ex statim dicendis.

Obserua igitur, dupliciter posse aliquid esse in subiecto:

Triplex dubitatio.

Assertio.